RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS JOHANNES JACOBUS DÖBELIUS,

Med. D. Professor Publicus,
& Poliater,

CIVES ACADEMICOS,

Hoc SACROSANCTO

PENTECOSTES FESTO,

à
Spiritus turbulenti insidiis avocat,
atque ad
SANCTI SPIRITUS charismata,
cœlitus impetranda, hortatur.

ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.





On ſcribendum tantùm
CIVES ACADEMICI ! di
cendumve, hoc erat Sacro S
tempore ; verùm omni
bus etiam nervis, quoad eo
Spiritus regit, litandum
gratioſæ Spiritus S. Majeſtat
Ecquid enim utilius nobi
eſſe poterat placatione Nu
minis æterni, *a.* omniſcientis, *b.* omnipotentis, *c.* omni
præſentis; *d.* quo ſine nemo JESUM ſalutare Dominun
poteſt ? *e.* quid dignius accidere poterat ſervitio ſtu
diove, Ejus conſecrato dignitati, qui dignos nos reddi
DOMINO ac DEO PATRI noſtro *f.* ? quid excogitar
unquam gratius, debitæ gratitudinis teſſeris ? Illi qui
dem, ſubmiſſiſſimo Mentis, corporis, omnium virium
cultu exhibendis, qui opera carnis mortificat, noſme
verò ipſos vivificat *g.*, per lavacrum Regenerationis re
novat *h.*, corroborat *i*, in novum hominē transformat
oculos mentis illuminat *k.*, omnia docet *l.*, in omnē ve
ritatem ducit *m.*, atque adeo aditum nobis per Servato
rem noſtrum JESUM CHRISTUM parat ad Patrem *n.*
qui infirmitatibus noſtris auxiliatur, atque inenarra-
bilibus pro nobis gemitib⁹ intercedit *o.*; qui Fidē opera-
tur *p.*, Fiduciam & Libertatē plenariam confert *q.*, æter-
num

a. Ebr. IX 14.
b. 1. Cor. II. 11.
c. Pſ. XXXII. 6.
Sap. VII. 23.
d Pſalm. CXXXIX. 7.
e. 1. Cor. XII. 3.
f. Rom. VIII. 15.
Gal. IV: 6.
g. Job VI. 63.
h. Tit. III. 5.
i. Epheſ. III. 16.
k. Epheſ. I. 18.
l. Job XIV 26.
m Job XVI. 12 14.
n. Epheſ. II. 18.
o. Rom. VIII 26.
p. 1. Cor. XII 8.
q. Pſ. LI. 14.



num apud fideles manet, depositum filiationis in iis servat; qui Testimonium perhibet Spiritui nostro, nos esse filios Dei, atque arrhabo est pignusq; promissæ hereditatis. O incomprehensibiles, atque inexhaustos planè beneficiorum thesauros! tanto omninò majores, quanto iis nos minores sumus; tantò, inquam, majores, quanto, qui hæc, & alia bona omnia, in omnibus operatur, cinere est & pulvere major. Instituerat, veteris fœderis tempore, rerum Arbiter, quinquagesimo à Paschate die, Tabernaculorum festum, quo primitiæ messis offerebantur, memoria liberationis ex servitute Ægyptiaca recolebatur, bonorumque, ex promissa Patribus terrâ quotannis provenientium amplitudo, ad datorem DEUM referebatur. Nec minus, Novi Testamenti Ecclesia, in beneficiorum, à Spiritu Sancto ad nos descendentium memoriam, singulari plane zelo, instituit Pentecostes festum, tanto ferventiori spiritu celebrandum, quantò spiritualia præstant terrenis; discussa Legis umbra exortæ Evangelii Luci cedit; quæque hoc ipso proponuntur Festo commemoranda, majora sunt charismata, beneficiis superioris Instrumenti. Nullus argento, terris abdito, color; nullus est thesauri absconditi usus: nec profutura erant merita Servatoris, nisi per Evangelium mundo essent annunciata, Spiritusque Sancti gratiâ in cordibus nostris obsignata. Verùm enim verò, quis nostrũ par est enumerandis magnalibus Domini; & quis, prædicandis operibus Ejus? Quòd si, ad nudum Divinæ Majestatis conspectum, interitum, ob labiorum impuritatem, veretur Propheta; prunæ, de altari Domini desumptæ, tactu mundandus: quid nobis credimus misellis, iniquitatem quotidie, velut aquam bibentibus,

Joh. XIV. 6. *II. Tim. I. 14.* *Rom. VIII. 16.* *II. Cor. I. 22. V. 5.* *Ephes. I. 14.* *Ps. XXXI. 20.* *Genes. XVIII. 27.* *Levit. XXIII. 41.* *Nehem. VIII. 14.* *Ps. CVI. 2.* *Esai. VI. 6. 7.* *Job. XV. 16.*

bus,

bus, & nihilo tamen minus, de Gloriâ & Majeſtate SPI-
RITUS hujus dicturientibus, futurum? Fateri liceat
quod res eſt, at, cum gemitibus fateri; ad ſeculi mores
reſpicienti: illudi potius perverſitate noſtrâ, cultusque
fuco; quàm laudari Sacratiſſimum Numen. De
Actor. VII. 51 mundo non loquimur, Numinis hujus, cujus ductibus
ubique reluctatur, incapace, animadverſionem di-
Job XIV. 17. gnam jam paratam habente, inque inextricabilis æter-
Job. XVI. næque perniciei barathrum, cum phantaſmatis ſuis ac
deliriis, citato quaſi curſu, & tripudio ruente: ſed eos
tamen non dolere non poſſumus: qui SPIRITU bapti-
zati, ſecundum carnem vivunt; qui CHRISTI oſten-
tantes nomen, hoſtes ſunt crucis CHRISTI; qui ſegre-
gationem mentientes à mundo, ſcortum & proſtibu-
lum mundi; qui habitaculum ſimulantes Spiritus
Sancti, cloaca fraudulenti ſpiritus exiſtunt. A ſupe-
riori mundo haud eſſe SPIRITUS SANCTI regimē ad-
Geneſ. VI. 3. miſſum, apertè ſatis queritur JEHOVAH. In peccatis
verò illius ſi inquiras; ipſe inquit Servator, ediſſe ho-
Luc. XVII. 27. mines, bibiſſe, uxores duxiſſe. Idem Sodomitas tan-
Geneſ. VII. 21. tùm pronunciat, ediſſe, bibiſſe, emiſſe, vendidiſſe, plan-
taſſe, ædificaſſe: & tamen, Illos comperimus aquâ ſub-
ib. XIX. 24. merſos; Hos, igne everſos. Quòd ſi ad tantam inſtiga-
runt pœnam, peccatorum Vindicem, functiones, quas
cum brutis habemus communes, cuticulæ & crume-
næ inſervientes, neque ultra humanitatis gradum ſeſe
Luc. XIII. 47. exerentes; longè profectò pluribus vapulabit plagis,
quisquis voluntatem Domini cognoſcens, mundi ſe
præſentis accommodat voluntati: non ſummum tan-
tùm in adductis, & id genus aliis functionibus, bonum
ponendo; verùm, hujus etiam conſequendi gratia, o-
mne ſcelerum oleum, omnem flagitiorum operam im-
penden-

pendendo. Neque enim amplius communiter fallit vitium specie virtutis; sed eo, dolor! jam est insaniæ deventum: ut defendantur scandala & flagitia, privato-publica, quia amantur; faciliusque excusantur, quàm excutiuntur. Quemadmodum enim meritò miserum est, peccare; miserius, peccatis delectari; miserrimum, ea excusare; ita consummatam merito dixeris amentiam, quando ad studium malum opinio quædam honestatis defendendæ accedit, quæ, quod unum superstes erat in malis bonum, perdit verecundiam peccandi. Ex fructibus judicamus arborem: & ex actionibus, instinctorem actionum, bonum malumve. Utriusq; collationem Apostolus instituit, quando boni quidem Spiritus fructus prædicat Charitatem, Gaudium, Pacem, Lenitatem, Benignitatem, Bonitatem, Justitiam, Veritatem, Fidem; mali verò dæmonis, carnisque esse opera inculcat, adulterium, scortationem, immunditiam, lasciviam, simulacrorum cultum, veneficia, inimicitias, lites, æmulationes, iras, concertationes, seditiones, invidias, cœdes, ebrietates, commessationes. Singula specialius examinare, & longum foret, & à scopo alienum. Quisquis tamen interea fueris; studiose temetipsum

Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consvetudo mala:

certissime persvasus, longè magis fugari, hoc vitiorum cœno, Spiritum S.; quàm apes fumo fugantur, aut fœtore columbæ: nihilque coinquinati intromitti in Cœlorum regnum; quin potius, omnes sordidos vitiorum scandalorumque cultores, excusatores, defensores, nisi debite in tempore resipuerint, à beatæ hereditatis consortio penitus excludi. Equidem ut scandala ne- *Gal. V. 21.*

cessa-

Matth. XVIII.7. cessariò futura prædixit Servator; ita seditiones, liti-
gia, persecutiones communiter experiuntur, quos per
Luc. XVII. 1. multas oportet tribulationes ingredi in regnum Cœlo-
II. Timoth. III 12. rum: quòd, qui conatum tantùm habent vivendi piè in
CHRISTO JESU, persecutiones cogantur pati. Atque
illud quidem omni; præsenti tamen tempore præpri-
mis notamus: quo superabundat iniquitas, & refri-
gescit charitas multorum; quo VIS communiter in
JUS mutata, ac, prout lubuerit insolentiori,

Pactum, non pactum est; Non pactum Pactum est.

Sed uti dictatum jam est præmium scandalizanti; ita
non afficitur, Spiritui obtemperans: quin potius pro
Rom V.3. Jacob.I.3. gaudio habet summo, gloriaque, quoties in varias inci-
dit tentationes. In mare decidens nimbus, nihil in-
commodi adfert; & grando, magno tectis fragore illi-
sa, nullâ noxâ desultat. SPIRITUS SANCTI gratiâ
tectus, adversus omnem prosperitatis, adversitatis in-
cursum interritus, sibi constans,

extra se nihil expetens bonorum,
Sortem sub pedibus premit superbam.

Atque hæc est illa pax, innumeris potior triumphis,
quam gratiosissimè promisit discipulis Servator, inque
fidelium suorum cordibus etiamnum, & in finem
usque seculi obsignat: quando Pacem nobis, non MUN-
DI, fallacem illam futilemque, sed SUAM clementis-
Joh. XIV. 27. simè donat, ne cor nostrum unquam expavescat time-
atve. Sicut abundant afflictiones CHRISTI in nobis;
II. Cor.I.5. ita per CHRISTUM abundat & consolatio nostra.
Atque utinam omnibus vobis, CIVES ACADEMICI,
& singulis, hæc esset pax communis! utinam charita-
tem, gaudium, & gratiam SPIRITUS S. non sentire-
tis tantùm; sed proximo etiam, datâ quâvis occasione

exhi-

exhiberetis! Crediderim equidem haud paucos, ex ordine Academico, SPIRITUS gloriosissimi motibus non resistentes, sed obsecundantes, detestantesque & præcaventes, quantum fragilitas patitur, quicquid nobis vitii sordiumque, continuis affricare insidiis conantur, communes Christianitatis hostes: sed invitus tamen etiam cogor experiri, ignavos fucos, & scabiosa pecora: Spiritu, non Sapientiæ, sed vertiginis agitata, nullis literis, nullis moribus imbuta, hinc impudentia, omnemque honestatem desuper habentia; ex triviis non minore ruditate, quàm corporis mole, in Academias præproperè prorepentia; in iis, quòd incapacia plerumque sint operarum proponendarum, vel nihil, vel malè agendo, diem transigentia; aliis, nescio quâ ferali & effrenatâ licentiâ, scurriliter insultantia, commessationibus, rixis, cædibus, duellis, & id genus aliis iniquitatibus, expressâ lege, sub Relegationis pœnâ interdictis, inhiantia: quæ quidē, velut inutilia terræ, & præprimis Academiæ hujus pondera, licet portam aliquando effugiant; pœnam tamen justam & correctionem haud sunt declinatura. Interea, omnibus illis, & nobis singulis, Sacrosancto hoc SPIRITUS SANCTI festo, Spiritum Precum, Gratiæ, Sanctificationis, Dilectionis, Veritatis, Sobrietatis, Consilii, Sapientiæ, Fortitudinis, Potentiæ, animitùs precor. *Veni SANCTE SPIRITUS, & emitte cœlitus, lucis tuæ radium! Veni Pater pauperum! Veni Dator munerum! Veni Lumen cordium! lava, quod est sordidum! riga, quod est aridum! sana, quod est saucium! flecte, quod est rigidum! fove, quod est frigidum! rege, quod est devium*: ut secundum tuum motum viventes, ambulantes, procedentes, sanctificemur toti, & integer noster Spiritus, & *Gal.V.25.*

Anima,

Anima, & Corpus serventur, ut in nullo possimus culpari, in adventu Domini nostri JESU CHRISTI. Nec est, quod de gratiosissimo gloriosissimi hujus SPIRITUS adventu dubitemus: modo nos Apostolis, qui primi formâ Eum visibili acceperunt, reddamus conformes. Venit Ille super Apostolos: cùm verbum DEI meditarentur, deque eo inter se conferrent. DEI verbum, ut lucerna pedibus nostris; sic SPIRITUS SANCTI est officina, aperiens oculos nostros, quò convertamur è tenebris ad lucem; à potestate Satanæ, ad DEUM; ut accipiamus peccatorum remissionem, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem. Ad hoc verò probè attendant, qui non hymnis & elogiis divinis concionem conventusque suos ornant; sed, temporis fallendi gratiâ, novitatum nugis, ostentationum vanitatibus, jocisque sæpè scurrilibus, Christiano plane indignis, conspurcant. Venit super Apostolos SPIRITUS: cùm in Oratione perseverarent. Precum ardore impetratur; qui precum est Spiritus: ad preces impellit; qui precibus retinetur &, per preces, sua in nobis dona auget: ut precandi artificio præprimis indigeant, quibus sine mente sonus, precum esse vice solet. Venit SPIRITUS, cum omnes ὁμοθυμαδὸν, unanimiter, in eodem versarentur loco. Caritatis est & Concordiæ SPIRITUS: discordiæ verò & odiorum acerrimus osor: DEUM PATREM nobis jungens per caritatem, CHRISTO nos per Fidem, Proximo denique per dilectionem. Exulent posthac, ex Societate nostrâ, fastuosi simultatum; exulent heterocliti odiorum & rixarum Patroni! exulent perjuri delatores & detractores! exulent turpilucricupidi laudatores, adulatores! omnesque ore & opere, secundum gratiam, quæ in nobis est, quoad vivimus, declaremus: nos esse filios lucis,

S P I R I T U S A N C T O

renovatos!

I. Thessal. V. 23. *Ps. CXIX. 103.* *Actor. I. 14.* *Actor. II. 1.*

Publicatum, sub sigillo Rectoris, die XXIII. Maji ANNO M DC LXXV.